



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Resipiscens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

identidem intelligendum, quod ubique Christus ipse profitetur hominem imaginem esse invisibilis filii, qui si lux est vera, quæ mentem omnem illustrat, expressissimum habet simulacrum hunc Solem, qui est lux imaginaria illuminans omne corpus. Hinc patiente Christo adversa Luna deficiens, consensum nobis suæ naturæ perspicue demonstravit, nosq; jure optimo diem, qui Soli à Mathematicis adscribitur, eum Domini vocitamus, & ejus cultui sacrum dedicamus, vel hinc ostendentes, non esse cur amplius corporeum Solem, ut olim Gentes, colamus, quasi Regem cœli & dominum, atque moderatorem, posteaquam Sol invisibilis, coæternus Patri & coæqualis, per quem & cœlum & terra condita sunt, sitos in umbra mortis homines illuminavit, estque, ut cum Simeone abfolvam, Amen, quod è gentium oculis tenebras discediat, & electio populo gloriam afferat, nullo unquam tempore defuturam. In aliquot antiquorum numis cernere est humanum caput radiis circumquaque diffusis, cujus inscriptio est, ORIENS. Sive igitur pro Sole, sive pro regione, unde Sol oritur, imago ea recipiatur, utroq; hieroglyphico Christum referre videbitur, de quo Zachar. Propheta: *Ecce vir, ORIENS nomen ejus, qui dominaturus esset super folio suo.* Alter quoque Zachar. antiquum hoc dictum attestaturus: *In quibus nos visuravit, ait, Oriens ex alto, ut eos qui sedent in tenebris & in umbra mortis illuminaret.* Ideoque tam vox, quam imago Orientis, Assertorem nostrum significat, ait Eucherius. Exorientis autem Solis imago altera erat apud Ægyptios sacerdotes, Lotos quippe arbor aquatica, ubi infantem in ea considentem figurassent. Hinc utique vapores illos matutinos, qui à Sole moventur, stricior quadam aura refrigerantes potius quam adurentes intelligi volebant. Cæterum ego significatum hoc, ut exortum lotos indicet, inde sumptum crediderim, quod ea ante Solis emersum implicata folia habeat, quæ quidem ita sensim exsnuantur aperunturque, uti magis ac magis tollitur jubar Solis. Maxime vero panduntur, ubi medium is iter emensus est. Eodem vero decedente, folia ipsa vicissim contrahuntur, complicarique incipiunt ac insinuari, veluti nulli parere velint præterquam numini, quod venerantur, atque ita quibus liceat modis, eo abunte, sese intra claustra cohibeant. Quod, ut Proclus ait, observatum à Magis, ut sacram omnino eam Apollini crederent, effecit.

Dies Domini.

Cap. 6.

Luc. 1.

Matthæol. in Dioscor. c. 109. l. 4.

Hinc Hierarchia & Monarchia à Canonibus duob. luminariis comparatur.

Æo. 1. 11.

Georg. 1. 1.

RESIPISCENS. CAP. VI.

Habet & Aurora suum hieroglyphicum, quod aperire non pigeat. Per eam siquidem vir ostenditur, qui de voraginibus emergens pravorum operum, & erroris cæcitatem derelinquat, & ad justitiam & lucis puritatem evehat, quæ sententia ejusdem est, quem supra citavimus, Eucherius.

CLARITAS. CAP. VII.

A Solis vero claritate, viros omnes insignes, qui vel rebus præclare gestis patriam illustrarunt, sive sublimiori aliqua doctrina mortale genus (quod egregie tu facis) instituerunt, aut vice sanctioris exemplo reliquis fuere documento, quo veram possent assequi beatitudinem, LUMINA nuncupare mos est. D. Ambrosius Luminaria, sanctos inquam homines, inter mortales versatos ait. Illi enim veræ participes lucis, eas animas quas erudiebant ab ignorationis tenebris educentes, luminaria non injuria nuncupati sunt. Ita gentes reliquæ viros, qui præclari nominis essent, nomine Luminis appellarunt, ut Latinus Rex apud Maronem queritur, *Lumina tot cecidisse Dicunt.*

IMPERII MAJESTAS SUMMA. CAP. VIII.

A pud eosdem Persas, quos paulo ante nominavimus quorum quidem disciplina recentior omnino fuit, deducta ad res humanas similitudine, Sol eum penes quem summa esset Imperii majestas, indicabat, Solemque in ejus sublimitatis homines signa dare persuasum habebant. Unde etiam apud Maronem:

Ille etiam extincto miseratus Casare Romam Tunc caput obscura nitidum ferrugine texti.
Et ultimo Domitiani tempore corona quædam Iridi similis Solem circumdedit, quæ lumen ejus ac radios obscurabat: quod portendebat, ut Arioli interpretabantur, fore ut is Imperator à Stephano jugularetur.

HUMANA VITA. CAP. IX.

Tantus vero est Soli cum humana vita consensus, ut is claritate sua insignis, vitæ identidem nostræ tranquillitatem: obscurus autem obnubilatusq; rerum nostrarum perturbationem ostendet.

Hinc